

CUPRESSUS
 BEATIS MANIBUS
 MAGNI LITERARUM ATLANTIS
 VIRI SUMME REVERENDI, AMPLISSIMI
 ET EXCELLENTISSIMI

DN. JOANNIS
 MICRÆLII

CÖSLINO-POMERANI,
 SS. Theol. D. ejusdemq; & Phi-
 losophiæ P. P. celeberrimi, nec non Regii
 Sedinensium Athenæi Rectoris meritissimi, Præce-
 ptoris mei per sesquiannum Parentis locò deve-
 nerandi, nunc desideratissimi.


Anno Christi M. DC. LVIII. III. Non. Decembr. piè
 placideq; inter vota adstantium Ætatis Sux LXI. denati, &
 XIX. Kal. Januarii in templo Cathedrali Mariano
 sepulchro illati,

Non sine lacrymis

erecta à

FreDerlCo ReImero

BallLoreo PrVsfo.



SEDINI POMERANORUM

Impressit Gymnasii Calcographus Georgius Goëtschius.



JOANNES MICRÆLIUS
PHILOS. UT ET S.S. THEIOLO. D. P.P.
PÆDAGOGIARCHA SEDINENSIVM EMERITVS.

ἀναζητητῶν

Telò periit miles, Hippocrene; ah non lucet magis:
Sidus Pomeraniæ, adsit DEUS his, vagos.

V*ix à vivorum conspectu filia Noctis
Abstulerat Sophies gnatum Pomeraniæ in oris.
Cum Dea virtutum (latet hoc) Jovis ipsa propago
Cælesti veteres servans sub corde dolores,
Hac secum: tunc incepto desistis honesto?
Hicne moraris adhuc? Europæ linqvere fines
Cur cessas? numquam Saturnia regna redire
Speras, atq; novâ vincituros tempora laurò
Tene homines credis solito pro more vereri?
Falleris, Eusebie, sequier si sensa studebis!
Falleris! ac magnum damni cumulabis acervum.
Aspice paulisper Pyrrhæ genus haud erit unus
His annis meritò qui te mactaret honore,
Pars Paphia Divæ cumulant altaria donis,
Pars letis urgent dictis celebrare Vacunam;
Maxima crudelis sequitur pars castra Gradivi,
Eversuram urbes ferrò, Siculòq; daturam
Promittit, nummis modo sit conferta crumena,
Ut vincis homines auri exseceranda cupido!
Non capit arma potens Svecus, non Sarmata tantùm*

Verùm



Verum etiam Batavus, Cimber, sedusq; Polonus;
Scilicet hac quovis aurum reparare docebunt.
Laudes interea Cræsus tibi ferre recusat,
Nec mage Damocles agno nunc imbuere aram?
Ipsa refers. Celerato gradus ergo nec Olympum,
Scandere cuncteris celsum, terrestria mutes!
Talia mœrenti secum Dea pectore volvens,
Musarum in patriam, studiis loca facta decoris,
Sedinum venit; hic folio Tritonia virgo
Insidet excelsò, persolvens premia gnavis,
Degeneres contra tenebròso carcere frenans.
Viderat ut primùm Eusebien perdocta Minerva,
Continuò accedit, germanæ ac oscula libat,
Atq; rogat secum visat penetralia sancta.
Annuit hisce Dea precibus, sequiturq; Sororem.
Est domus ante annos centum & tria lustra canori,
A divo Duce, Grynæi sacrata Camœnis.
Hic veri dantur celestia dogmata Christi,
Hic sanctæ Themidos leges discuntur honestæ,
Hippocratesq; docet Juvenes depellere morbos;
Hic habitare solent Comus Charitesq; suaves.
Huc abeunt, intrant, Pietasq; rogata resedit.
Jam Parnasæus nigro velatus amictu,
Cincta Castalides feralis fronde cupressi
Conveniunt Musæq; SENI VENERABILI honores
Laturæ meritos; passis jam crinibus albis
Tristes Melpomene cantus animare laborat;
Fit gemitus, pugnis aliæ sua pectora tundunt,
Ora lavant lacrymis, lacrymis vestesq; madescunt.
Non sic Peliden fortem flevère Pelasgi,
Nec claudi conjux formosum Cypris Adonim,
Quam grex fata HUIUSCE VIRI perdocta dolebat.

Hunc

Hunc Dea dum cernens luctum stupet & miratur,
 Innuba Pallas eam compellat vocibus hisce:
 Quid sit, chara Soror, miraris causa doloris?
 Dicam, adverte animum: vulnus vix triste coivit,
 Quod Mors inflixit nobis, cum misit ad umbras
 Magnificum BOHLIUM, AUGUSTUS quò Svecicus Heros
 Usus erat, dum consiliis ac arte valebat;
 Nunc iterum rupit, manat novus undiq; sanguis,
 Ejus enim telò periit miles meus acer,
 Cui Hippocrene crebros concesserat haustus.
 Non magis ah lucet Sidus Pomeraniæ amicum!
 Quilibet hinc optat bonus, his terris DEUS adsit,
 In tenebrisq; vagos errorum luce reducat.
 Quid refero multis? obiit MICRÆLIUS, eben!
 Hæcq; die cineres terræ tradentur avitæ.
 Sic ait: & gemitus imo de pectore ducit.
 Illa nihil contrà, vultum sed mutat amœnum,
 Qualis erat facies Phœnisæ Punica regna
 Castum Dardaniden cum lingvere cerneret antiqva.
 Effertur funus, sequitur comitata Sorore,
 Et carmen lacrymis affigit tale sepulchro:
 Gymnasii, MAGNUS JANUS MICRÆLIUS, Atlas,
 Philosophus, Astronomus, Rhetor, Geometra, Professor,
 Theiologus, Doctor, jacet hęc sub marmore durò.
 His, Dea propositum, exequiis nunc ritè solutis,
 Carpit iter, tutam tendens Superiorum & ad arcem
 In tenues procul à terris evanuit auras.
 Heu! fugit Fortuna simul, Spes sola remansit,

